

§. 1. Statutum est; ut ad festum S. Lucae proxime futurum, ex singulis Comitatus, unus vel alter Nobilis, ad id unum duntaxat pertractandum, concludendumque: Similiter et ex Transylvania, Sclavoniaque, nec non ex singulis Capitulis, Civitatibusque potiores quinque, sumptibus eorum, Ponium deligantur, per quos ita delectos (praesentibus ibidem authoribus reformationis, nec non Judicibus Ordinariis, aut eorum Proto-Notariis et Vices-Gerentibus) revisio ista omnis, diligenter et accurate recognosci; et prout ex usu Regni et justitia fuerit esse visum, concludi; et Sacrae Regiae Majestati clementer acceptanda et revivenda proponi debeat; quam etiam Majestas Sua revideat et recognoscat.

Victualium limitatio.

A r t i c u l u s 17.

§. 4. In Transylvania autem, Wayvoda; ac in Sclavonia, Banus, hanc limitationem, modo similiter praedicto, facere debent.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM XV. ANNI 1554.

Civitates et Arces, impignoratae Polonis et Austriacis, ut redimi possint, curandum esse: Et quod limites Regni rectificentur.

A r t i c u l u s 13.

§. 2. Nec non revisionem et rectificationem metarum, aliarumque differentiarum, inter Ungariam et Austriam, quae nondum sunt determinatae; ac inter Sclavoniam et Styriam, ac Carnioliam; nec non Ungariam et Moraviam; promulgationemque et executionem controversiarum jam determinatarum, Majestas Sua juxta gratiosam oblationem, nacta occasione ad effectum perducere curare dignetur.

FERDINANDI I. IMPER. & REGIS DECRETUM XVI. ANNI 1555.

Libertates Regnicolarum, in Tricesimis et Tributis, sive Teloniis; sercentur.

A r t i c u l u s 9.

Constitutum est etiam; ut (quod in proximis Conventibus *) semper supplicatum fuit Suae Majestati) dignetur Dominorum, ac Nobilium, Civitatumque Liberarum, ac Montanarum et aliorum quorumvis Ordinum Regni, libertates, tam in Ungaria, quam Croatia et Sclavonia; in exactionibus Tricesimarum, ac quorumcunque tributorum juxta tenorem praeteritarum Constitutionum, per Officiales, tam Ungaros, quam externos, inviolabiliter observari facere.

§. 1. Quemadmodum Majestas Sua et antea semper ita fieri voluit; et nunc, pro justitia faciendum censet.

*) Nempe; Novizol. An. 1542. a. 48. Posen. An. 1548. a. 56. An. 1550. a. 66. An. 1554. a. 11.